

gelii expleto ejus cantu, neque assistentia magistri cæremoniarum in choro (1); ipse Vicarius in missa solemnzi uti nequit palmatoria, neque presbytero assistente (2); neque ei debetur titulus *Illustrissimi* (3), nisi sit Episcopus. Non gaudet jure peragendi functiones Episcopales, sed hæc pertinent ad primam dignitatem, et successive ad alias (4).

IV. In choro, quatenus canonicus, habitu canonicali indutus, sedet in loco receptionis; quatenus autem vicarius, præcedentiam habet supra omnes, ideoque sedere debet in digniori loco, non tamen in sólio Episcopali (5). Quod si dignior sedes chori occupata esset, tunc dignitatis et canonici descendere debent, majorem sedem ipsi vicario relinquendo (6). Hæc differentia advertenda est inter vicarium capitularem et Apostolicum: ille sedet a sinistris primæ dignitatis, quatenus electus a capitulo, et hic in digniori loco, uti constitutus a Sede Apostolica.

## CAPUT XXIII.

## DE JURE ET FACULTATE VICARII CAPITULARIS.

§ 1. *De jure particulari.*

I. Vicarius capitularis non tenetur diebus dominicis et festivis missam pro populo applicare (7).

II. Nomen vicarii capitularis in oratione canonis *Te igitur nominari* nequit (8).

III. Sicut Episcopus diœcesanus, cuius mensæ episcopali præbenda canonicalis unita est, et duo canonici in servitio Episcopi existentes, fructus præbendæ percipiunt, ut dictum est cap. X, § 1,

(1) S. R. C. 13 Jul. 1658, *Juvenacei*.

(2) S. R. C. 21 Jul. 1855, *Vicariatus Apostoli Constantinop.* ad 5.

(3) S. R. C. 12 Aug. 1684, *Spoletana*.

(4) S. R. C. 1 Feb. 1614, *Brundusina*.

(5) S. C. Episc. 22 Jan. 1596, in *Cajetana*.

(6) S. C. Episc. 14 Aug. 1590, in *Licen*, apud Muhlbauer, *Vicarius Apostolicus*, c.

(7) S. R. C. 12 Nov. 1831, *Marsorum* ad 23.

(8) S. R. C. 22 Aug. 1722, *Sarsinaten*, 5, et 9 Maij 1857, *Pekinen et de Mongolta* dub. IV.

et cap. XIV, § 1; ita similiter dicendum est, vicarium capitularem fructus præbendæ suæ lucrari, etsi chorū non frequentet, quia eadem est ratio. Plures etiam censem, eum lucrari distributiones quotidianas, si choro propter munus suum non intersit (1); potius autem dicendum est, illum easdem non acquirere, nisi legitima adsit consuetudo, quia nec Episcopus diœcesanus, nec duo canonici in ejus servitio, eas lucrantur, sicut de illis ibidem etiam notatum est (2).

Si choro intersit, ad lucrandas distributiones interesse debet cum solita veste canonicali, et sedere in loco proprio sui canonicatus, neminem antiquorem præcedendo. Si vero distributiones lucrari noluerit, præcedit omnes præter primam dignitatem seu digniorem canonicum præsentem (3).

IV. Vicarius capitularis de congrua sustentatione provideri debet, non quidem pro ratione temporis vacationis sedis Episcopalis, sed pro tempore muneri vicarii capitularis (4). S. C. Congregatio inhaerendo declarationibus alias factis censuit, vicario capitulari constituendum esse salarium, dari solitum vicario generali Episcopi (5); et ut notat Lucius Ferraris (6) circa hoc attendenda est legitima locorum consuetudo, præterquam in regionibus in quibus vicarii capitulares congruum ab ærario civili stipendium recipiunt (7). Vicarius tamen capitularis non potest pœnas et mulcas pecuniarias in usus proprios convertere; hæc enim integræ locis piis applicari debent (8). Sed et congrua vicarii capitularis sustentatio desumenda est ex vacantis sedis emolumenis, quæ scilicet ex jurisdictione, aut ex sigillo, seu ex alio quocumque fonte proveniunt; e quibus, detracto ejusdem vicarii competenti salario, quidquid reliquum est, ad futuri Episcopi commodum remanere debet. *Sacra Congregatio alias censuit, emolumenta, sede Episcopali vacante, obvenientia ex jurisdictione, et sigillo, aut alias undeque, neque ad capitulum,*

(1) Scarfantonius et plures ab eo citati lib. II, tit. X, n. 19.

(2) Vid. Lucius Ferraris, *Vicarius capitul. art. 1, n. 50*; De Angelis l. 1, tit. 28, n. 22.

(3) Lucius Ferraris, ibidem n. 51 et 52.

(4) S. C. C. 23 Mart. 1861, *Analecta juris Pont.* 1863, fol. 2255.

(5) 4 Jan. 1631 in *Brundusina*, apud Scarfantonum lib. IV, tit. VII, anim. 71.

(6) *Vicarius capitularis*, art. 1, n. 49.

(7) De Angelis lib. 1, tit. XXVIII, n. 22.

(8) S. C. C. 28 Mart. 1648, in *Emenisi*, lib. 18, *Decretor.* p. 464.

*neque ad ejus vicarium spectare; sed debere futuro successori reservari, si ad Episcopum, ecclesia non vacante, pertinuerit. Ex his tamen emolumentis deducendum esse salarium rationabile, vicario constituendum et persolvendum »* (1).

§ 2. *Eadem capituli et vicarii capitularis potestas.*

I. Jurisdictio seu potestas, quam capitulum, defuncto Episcopo, exercendam accipit, et retinet usque ad Vicarii capitularis electionem, eadem omnino est, ac jurisdictio, quae electo Vicario capitulari competit. Quapropter SS. D. Pius IX in litteris Apostolicis *Romanus Pontifex* 1873 quinto kalendas Septembbris declarat et decernit « totam ordinariam Episcopi jurisdictionem, quae vacua sede Episcopali ad capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire. » Et similiter juxta Benedictum XIV (2) tota Episcopalis jurisdictio, sede vacante, transit ad capitulum ecclesiæ cathedralis, et per capitulum ad Vicarium capitularem.

II. Hæc jurisdictio est ordinaria, ut in litteris Apostolicis Pii IX denotatur.

III. Hinc sequitur : 1º Vicarium capitularem omni tempore, quo sedes vacat, diœcesis administrationem gerere independenter a capitulo.

2º Non opus fuisse, ut specialiter ageretur de exercitio jurisdictionis capituli, quae ad paucos dies protrahi potest, quia ea quae de Vicarii capitularis jurisdictione, quae ad longius tempus communiter extenditur, dicenda sunt, de capitulo respective dicta, pariter intelligenda sunt.

§ 3. *De jure seu facultate Vicarii capitularis in genere.*

I. Vicarius capitularis habet ordinariam Episcopi jurisdictionem, sicut Pius IX in litteris Apostolicis *Romanus Pontifex* § 2 allatis declarat, totam ordinariam Episcopi jurisdictionem ad Vicarium

(1) Ita decretum fuit a S. C. 11 Jul. 1626, lib. 13, Decret. pag. 55 et 56 in quædam causa *Nullius*; et iterum in una *Agrigentina* 17 Ap. 1627 eodem lib. 13, Decret. pag. 232; Bened. XIV, de Syn. lib. X, cap. X, n. IV; Scarfantonius lib. IV, tit. VII, animadv. 71.

(2) De Synodo lib. 2, cap. IX, n. II-VII.

transire (1). Succedit Episcopo in his, quæ illi competunt de jure communi (2) nisi a jure expresse prohibita reperiantur; ei competit Episcopi jurisdictio, nendum spiritualis, sed etiam temporalis et universa (3); atque potest res arduas, criminales et matrimoniales cognoscere et expedire, quatenus ad ordinariam Episcopi spectant jurisdictionem, non obstante Concilio Tridentino sess. XXIV, cap. XX de reformat. juxta quod causæ matrimoniales et criminales Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquuntur, quia per hoc decretum solum excluduntur prælati inferiores, non vero capitulum et vicarius capitularis, sede vacante (4).

II. Vicarius autem capitularis non succedit Episcopo, nisi in iis, quæ sunt ab ordinaria Episcopi facultate vel a juris dispositione (5): ita ut Episcopo non succedat in iis, quæ ei competit jure dum taxat speciali, puta ex privilegio, commissione, Sedis Apostolicæ delegatione (6). Quamvis tamen nonnulli censeant, eam jurisdictionem, quæ Episcopo per sacros canones vel per Concilium Tridentinum vel per alias Apostolicas constitutiones generali delegatione tribuitur, concedi per quamdam extensionem sive prorogationem ordinariæ potestatis; et capitulum igitur ac Vicarium capitularem in hujusmodi jurisdictione recte succedere, vicemque Episcopi suppleret (7). Talis est novi monasterii ædificatio, quæ cum Episcopi licentia prius obtenta fieri potest juxta Concilium Trid. sess. XXV, cap. III, de Regularibus, et quam tamen, sede vacante, Vicarius capitularis juxta plures concedere non potest (8).

Vicarius capitularis similiter exequi nequit dispensationes, ab Apostolica Sede Episcopo aut ejus Vicario generali delegatas, quas ante Episcopi obitum eorum alter non est executus; quia harum litteræ directæ sunt Episcopo vel ejus Vicario generali; et Vicarius capitularis, quamquam exerceat jurisdictionem Episcopalem, non

(1) Vid. cap. XVIII, § 2.

(2) S. C. C. 28 Maij 1796, § 2, S. Sev. apud Zamboni tom. IV. *Vicarius capitul. § II.*

(3) S. C. C. 21 Dec. 1591, *Derthonen*, apud Zamboni *Vicarius capitul.* § III, n. 5.

(4) Barbosa de canon. cap. 42, n. 72 et 102; Bouix p. V, sect. III, cap. IV, § IX.

(5) S. C. C. 20 Mart. 1756, § 2, *Claus. Hon.* apud Zamboni tom. IV, *Vicarius capitul.* § II.

(6) Reiffenstuel lib. III, Decretal. tit. IX, n. 42 et seqq.; Scarfantonius lib. II, tit. IV, animadv. 6 et seqq.; Barbosa de canon. cap. 42, n. 104.

(7) Scarfantonius loco cit. n. 8-13; Craisson n. 1256.

(8) Barbosa de canon. cap. 42, n. 60, Vid. etiam Fagnanus in 1, part. III, Decretal. de institutionibus cap. *Non amplius*, n. 70 et seqq.

est tamen Episcopus nec Vicarius generalis Episcopi (1) : licet tamen aliqui putent, eas delegationes etiam esse reales, et defunctis Episcopis, a Vicariis capitularibus executioni mandari posse (2).

Inter delegationes, quæ sede vacante, non transeunt ad capitulum, neque ad Vicarium capitularem, certe referendæ sunt facultates dictæ quinquennales, in quibus tamen n. 20 Episcopo specialis datur potestas « communicandi has facultates in totum vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, et præsertim tempore sui obitus, ut sede vacante sint, qui possint supplere, donec Sedes Apostolica certior facta. quod quam primum fieri debet, per delegatos aut per unum ex eis, alio modo provideat. »

III. Superaddendum est, Vicarium capitularem eodem fere potiri jure, ac Vicarium generalem Episcopi viventis, licet tamen Vicarius capitularis in pluribus præstet Vicario generali (3). Quoniam autem Vicarius capitularis quodammodo Vicario generali Episcopi comparatur, propterea merito dubitant auctores, an Vicarius capitularis sola sui muneric commissione ea expedire valeat, ad quæ perficienda, Vicario generali opus est speciali mandato. Negat Barbosa (4), asserens contrariam opinionem minus firmam visam esse Rotæ Romanæ in una *Maurianensi Pensionis* 25 Junii 1626; alii autem quam plurimi sententiam affirmativam tinentur, validisque sustentant rationibus (5), atque hæc sententia multo probabilior et certior evasit. postquam SS. D. Pius IX per litteras Apostolicas *Romanus Pontifex* 1873 quinto kalendas Septembbris declaraverit, totam ordinariam Episcopi jurisdictionem ad Vicarium transire, nec ullam hujus jurisdictionis partem posse capitulum sibi reservare; ita ut, si Vicarius capitularis speciali mandato indigeat, capitulum ei idipsum amplius concedere nequeat. Hoc tamen non obstante, extra controversiam positum non est, an Vicarius capitularis ea omnia peragere valeat, ad quæ Vicarius generalis speciali indiget mandato (6). Unde si casus oc-

(1) Benedictus XIV, de Synodo lib. 2, cap. IX, n. III; Lucius Ferraris, *Vicarius capitularis*, art. 2, n. 62 et 63; Barbosa de canon. cap. 42, n. 57; Hermes cap. 2, fol. 82.

(2) Craisson, n. 494 et 495.

(3) Benedictus XIV, de Synodo lib. 2, cap. IX, n. III et IV.

(4) Loco cit. n. 103.

(5) Ita Bened. XIV, loco cit. n. IV.

(6) Acta S. Sedis vol. XI, fol. 354, Vid. Lucius Ferraris, *Vicarius capitul.* art. 2, n. 40, 108 et 109.

currat, Vicarius capitularis vel abstinet, sicut Sacra Congregatio respondit quoad confraternitatum erectionem, ut § X, n. II. dicitur; vel recurrit ad Sedem Apostolicam, vel forte agere potest juxta sententiam affirmativam, si eam consuetudine probatam aut aliis specialibus rationibus firmatam invenerit.

#### § 4. De facultate Vicarrii capitularis in particulari.

I. Sicut Episcopus jus et officium habet inspiciendi totam diœcesim, invigilandi, et inquirendi in mores cleri et populi; ita hoc jus et officium, sede vacante, devolvitur ad vicarium capitularem, tanquam successorem muneric Episcopalis, etiam extra visitationem (1).

2. Vicarius capitularis cognoscere potest omnes causas judiciales, etiam criminales, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, non obstante Concilio Tridentino sess. 24, cap. 20 de reform. ut dictum est supra § 3 (2); corrigere et punire potest excessus et crimina, excommunicare, suspendere, interdicere, deponere seu privare beneficiis, aliaque facere quæ ad correctionem spectant, cum ea omnia pertineant ad ordinariam Episcopi jurisdictionem (3); anathematizare tamen non potest, id est, excommunicare cum solemnitate, prout communis est opinio (4). « Videtur quoque procedere posse contra clericum ad verbalem degradationem (qualis dicitur, quando contra clericum pronuntiantur sententia, per quam privatur is ordinibus clericalibus, quæ et proprie loquendo degradatio dicitur); cum dicat Tridentinum (5), quod Episcopus per se, seu suum vicarium generalem in spirituibus, contra clericum in sacris, etiam presbyteratus, ordinibus, ad illius condemnationem possit devenire; adeoque videtur idipsum competere quoque capitulo, sede vacante. Nequaquam tamen ad actualem illam et solemnem clerici degradationem (qualis dicitur, quando clericus non solum per sententiam privatur, sed etiam

(1) Leuren, de capit. sede vac. q. 472; Fagnanus in 2 part. lib. 1. Decretal. de Majorit. et Obedient. cap. *His quæ*, n. 51; Hermes cap. II, § 2, n. 3.

(2) Leuren, loco cit.; Barbosa de canon. cap. 42, n. 72 et 85; Hermes cap. 2, § 2.

(3) Leuren, loco cit.; Reiffenstuel lib. III, Decretal. tit. IX, n. 63; Barbosa de canon. cap. 42, n. 65 et 80; Lucius Ferraris, *Vicarius capitul.* art. 2, n. 29; Bouix p. V, sect. 3, cap. IV, § V; Hermes cap. 2, n. 5, fol. 68.

(4) Fagnanus in 2 part. I. Decretal. de Majorit. et Obedient. cap. *His quæ*, n. 49.

(5) Sess. 13, cap. 4.

personaliter et actualiter degradatur, exiuitur, et spoliatur ordinibus ecclesiasticis, cuius modum ponit Tridentinum loco citato; hanc enim per Episcopum fieri vult Tridentinum; et sic videtur ea ordinis esse episcopal; quod ipsum aliqui tradunt de degradatione seu depositione verbali » (1).

3. Absolvere potest ab omnibus peccatis et censuris, tam a jure quam ab homine latis, in foro interno et externo, in quantum potest Episcopus ordinaria sua potestate. A censuris etiam quibuscumque Summo Pontifici reservatis absolvere potest omnes impeditos recurrere ad Sedem Apostolicam. Item facultatem habet, Episcopis concessam a Concilio Tridentino sess. XXIV, cap. VI de reform. absolvendi in foro conscientiae delinquentes quoscumque sibi subditos a quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, in quantum huic decreto Tridentino derogatum non est per posteriores Sanctæ Sedis constitutiones (2).

Facultatem etiam concedere potest, absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis (3).

4. Dispensare potest in omnibus casibus, in quibus hoc potest Episcopus vi jurisdictionis ordinariæ, ut in votis et juramentis, in petitione debiti, in denuntiationibus matrimonio præmittendis; ut illegitimus minores ordines suscipere et beneficium simplex obtinere possit: imo in iis etiam casibus, qui per accidens tantum, propter impedimentum adeundi Pontificem, sunt Episcopales, quia potestas, qua Episcopus in illis casibus dispensare valet, æquiparatur ordinariæ. Item ad eum spectat potestas dispensandi, quam habet Episcopus a Concilio Tridentino sess. XXIV, cap. VI, de reform. in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum. Hæc autem facultas obtinet in iis tantum regionibus, in quibus decreta disciplinaria Concilii Tridentini recepta sunt, et pro iis solis irregularitatibus et suspensionibus, quæ jam statuta erant tempore Concilii, non vero pro iis, quæ postea forte inducerentur (4). Similiter gaudet facultate

(1) Ita Leuren, de capitulo quæst. 479.

(2) Giraldi, Expositio juris Pontif. p. 2, sect. 132, et de poenis ecclesiast. p. 1, cap. XXIV, resp. II; Reiffenstuel loco cit. n. 62; Barbosa loco cit. n. 62; Lucius Ferraris loco cit. n. 16 et 29; Scarfantonius lib. 2, tit. IV, animadv. 32; Hermes loco cit. fol. 69, n. 6.

(3) Barbosa de canonic. cap. 42, n. 64.

(4) Conf. Giraldi Expositio juris Pontif. loco cit.

dispensandi in interstitiis ordinum: qua tamen facultate uti non potest, nisi in casibus, in quibus litteras dimissorias dare potest: et si a Sede Apostolica concessa esset facultas dandi dimissoriales aliis quam arctatis infra primum annum, vi tamen hujus concessionis dispensare non potest in interstitiis, nisi et hoc expresse concessum fuerit (1).

5. In causis canonicorum ecclesiæ cathedralis vicarius capitularis procedere potest, tam in communi quam in particulari (2). Singulares etiam personas de capitulo excommunicare, suspendere et interdicere potest, non vero totum capitulum (3). Cum adjunctis procedere debet in illis casibus, in quibus, si processisset Episcopus, debuisse procedere cum adjunctis (4).

Compellere potest cancellarium ecclesiæ ad sibi tradendas scripturas vel authographas, vel copias authenticas ecclesiam resipientes, soluta dumtaxat mercede scripturæ (5).

6. Capitulum vel vicarius capitularis potest novos confessarios approbare, et similiter confessarios sacerdetales a se vel a defuncto Episcopo approbatos ad examen revocare, eosque etiam reprobare, si incapaces seu inidonei reperiantur defectu instructionis aut morum. Ratio est, quia illi sunt sub immediata ordinaria Episcopi jurisdictione, et sic etiam sub eadem immediata ordinaria jurisdictione capituli et vicarii capitularis, a quo illorum facultas restringi et revocari valet. Aliud autem est quoad confessarios regulares; si enim hi approbati sint sine restrictione temporis, vel per Episcopum defunctum cum clausula ad beneplacitum nostrum, vel tempus approbationis nondum elapsum sit; tunc per capitulum seu vicarium capitularem neque ad examen vocari, neque suspensi, neque revocari possunt, propter privilegium, quod habent regulares a Clemente IV (6).

(1) Riganti in reg. 24, Cancellariæ § III, n. 221 et seq.; Reiffenstuel lib. III, Decretal, tit. IX, n. 49-57; Barbosa de canonic. cap. 42, n. 81, 82 et 128; Bouix p. V, sect. III, cap. IV, § 6; Hermes cap. II, § 2, I, 2.

(2) S. C. C. 16 Dec. 1724 in *Turritana*; Lucius Ferraris *Vicarius capitul. art. II*, n. 69.

(3) Bouix loco cit. § V, n. 5 et 6.

(4) Lucius Ferraris loco cit. n. 19.

(5) S. C. C. 11 Januarii 1783, dub. 10, *Viterbiense, seu Tuscanen.* apud Zamponi *Vicarius capit. § III*, n. 23.

(6) S. Congregatio Episc. et Reg. 19 Junii 1806, *S. Miniati Vicarii Cap. Lucius Ferraris Approbatio* art. I, n. 54-58; De Angelis Praelect. jur. can tom. 1, p. 2, tit. 28, n. 21; Craisson n. 1271, *Analecta juris Pont. 1873*, sér. XII, fol. 851, n. 753.

7. Etsi tempus sedis vacantis non sit conveniens ad aliquid agendum vel tractandum super statu ecclesiæ, ut notat Fagnanus (1), capitulum tamen seu vicarius capitularis facere potest salutaria statuta seu constitutiones ad criminum correctionem, morum reformationem ac bonum ecclesiæ pertinentes, quæ obligant totam diœcesim, durantque in tempus futuri Episcopi, donec revocentur; prout etiam ex rationabili et gravi causa abrogare et tollere potest constitutiones ab antecessoribus Episcopis latae; facere tamen nequit statutum in præjudicium ecclesiæ aut juris Episcopalis (2).

8. Capitulum seu vicarius capitularis Episcopo extero dare potest licentiam confirmandi, ecclesias consecrandi aliaque Pontificalia exercendi, modo hæc facultas per leges speciales limitata non sit, prout limitata est potestas ordines conferendi clericis sedis vacantis ante lapsus anni. Infra annum litteras dimissorias ad ordines suscipiendos clericis diœcesis vacantis concedere nequit, nisi sint arctati beneficiis, ut § 7 dicetur. Potest tamen ante lapsus anni extero Episcopo concedere licentiam, ordines conferendi in ecclesiis diœcesis clericis exteris, habentibus litteras dimissorias suorum Episcoporum, non autem clericis subditis Sedis vacantis (3). Potest etiam obtinenti a Sede Apostolica facultatem suscipiendi ordines cum licentia sui Ordinarii, ante lapsus anni hanc licentiam subordinatam concedere (4). Vicarius autem capitularis infra annum vacationis concedere nequit licentiam Episcopo externo, commoranti in diœcesi, ut ordinet regulares, etiam prævio examine per ipsum vicarium facto, *juxta Barbosam* (5); licet alii rectius contrarium doceant *juxta Muhlauer* (6).

9. Capitulum seu vicarius capitularis gaudet jure ordinario, Episcopis competente, in exequendis et commutandis ultimis defunctorum voluntatibus (7).

(1) In 1 p. III Decretal. *Ne sede vacante*, cap. *Novit.* n. 14.

(2) Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IX, n. 66; Benedictus XIV de Syn. lib. XIII, cap. V, n. 1; Barbosa de canonis cap. 42, n. 73; Lucius Ferraris *Capitulum*, art. III, n. 26, et *Vicarius capitularis* art. II, n. 33; Hermes cap. II, § 2, n. 1.

(3) S. C. C. 16 Maii 1705, in *Brixien*, apud Lucium Ferrarem *Vicarius capit.* art. 2, n. 7.

(4) Lucius Ferraris loco cit. n. 7-9; Zamboni *Vicarius capitularis*, § III, n. 14; Piascius Praxis Episc. p. 1, cap. 1, n. 13; Hermes cap. 2, § 1, reg. IV.

(5) De canonis cap. 42, n. 121.

(6) Decreta auth. S.-R. C. *Vicarius capit.* i.

(7) Barbosa loco cit. n. 76 et 101.

Examen implementi oneris missarum instituere potest (1).

Assistere potest matrimonio celebrando, aliique sacerdoti licentiam assistendi concedere (2).

Licentiam dare potest, quam daret Episcopus, v. g. ut novitii disponant de bonis suis (3).

### § 5. *De illis quæ vicarius capitularis non potest.*

I. Non potest ea, quæ Episcopo specialiter competit ratione dignitatis Episcopalis, qualia sunt facultas celebrandi missam in itinere extra ecclesiam, assumptio paramentorum ad altare ante missam et alia hujusmodi (4).

II. Ei generaliter interdicta sunt omnia, per quæ status ecclesiæ mutaretur, aut juribus Episcopibus præjudicium crearetur, sicut statuitur lib. III Decretal. tit. IX, *Ne sede vacante aliquid innovetur*. cap. 1. *Vacante sede, status ejus mutari non debet. Episcopali sede vacante, non debet aliquid innovari, cum non sit, qui Episcopale jus tueatur* (5).

III. Ipsi Episcopi ecclesiastica bona immobilia et pretiosa mobilia alienare non possunt sine beneplacito Apostolico (6). Præterea autem capitulo et vicario capitulari specialiter interdictum est, res ecclesiæ aut Episcopatus vacantis alienare vel aliis donare. Hæc antiquis canonibus sancta (7), statuta sunt propter frequentes abusus clericorum, qui tempore vacationis liberius quam par erat, de bonis ipsorum custodiæ commissis disponebant. Ratio etiam est, quia is, cui bonorum administratio, etiam libera, concessa est, regulariter donare non potest (8). Limitatur tamen hæc prohibitio: 1º si res servari non possit, dummodo servetur ejus pretium (9);

(1) S. C. C. 15 Ap. 1684; Bened. XIV de Synodo, lib. XIII, cap. ult. n. II.

(2) Barbosa loco cit. n. 86; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IX, n. 70.

(3) Barbosa loco cit. n. 87-90.

(4) Bouix p. V, sect. III, cap. IV, § 1; Craisson n. 1259.

(5) Reiffenstuel lib. III, Decretal. tit. IX, n. 13 et seqq.

(6) Can. *Ambitiosæ de rebus ecclesiæ non alienandis, Extravag. comm.* lib. III, tit. IV; Constit. Pii IX, *Apostolice Sedis*, Quarto Idus Oct. 1869, excomm. nemini reservatæ, n. 3.

(7) Causa XII, q. II, can. 38 *Hæc hujus, et 42 Si qua.*

(8) Fagnanus in 1, part. III Decretal. *Ne sede vacante*, cap. *Novit.* n. 23 et seqq. Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IX, n. 31 et seqq. Nouvelle Rev. théol. 1879, fol. 484.

(9) Fagnanus ibidem n. 31, et Reiffenstuel ibidem n. 32.